M.

16)

Mi charissime frater.

Literas tuas d. 24 Aug. datas, tertia hebdomade post, accepi,
cum jam aliquot ante dieb. ex litter. ad Affinē missis de statu
vestro & familiæ certior essem factus. Confirmet vobis
& nobis Dominus gratiam suam. Et citius me respondisse,
de imprimis de re Bethlemica perscripsisse oportebat. At
varia interim pro Schola & Capto confecta itinera, aliaq
negotia impedimento fuere. quamobrem tarditati huic
veniam, spero, dabis. Paulo post discessum vestrum
tabellarius cum literis Senatûs & tuis, hisqē reclusis, illis
adhuc clausis, at lacerā tn aliquatenus sigillos redit, Cæsarianorū
militum injurias querens. Refectum fasciculum, et cum
tua [illegible] aliena nunc sigillo muniendæ essent, ipsi literas misi
utriusq Comitem curandas, eisq tuas illas inserendas, duplic.
Ampl. Senatus alii tabell. perferendum dedit, unâ cum lit.
tibi commeatus, quæ priori defuerat. Quid Dni Comi:
tes responderint, ex additis exemplis, quorū Bethlemicum
Dn. Cancell. Pagenstecher ad me transmisit, intelliges. Senatûs
hac de re sententia nondum mihi relata est. Quid faciam de impens.
an & reliqua 50, quæ [illegible] offert, accipiam? Faci:
am, si jusseris. ac statuere quidem de illis tibi licebit p. lubitu.
Postridie Calend. Sept. reddebantur mihi Drorum Curatorum Acade:
miæ, & Consulum Urbis Lugduno-Batavæ literæ, quibus, se
locum D. [illegible] p.m. mihi destinâsse, ~~[illegible]~~ & si animi mei
in id munus professione intelligerent, me honestissimis utilis:
simisq conditionibus vocaturos esse, honorifice significabant.
Re serio ponderata & cum amicis deliberatâ, imprimis nōie Di:
vino diligenter invocato, respondi, si illis conditionibus me vocare
luberet, ipsorumq auctoritate interposita ab Ampl.mo Senatu
absq affectus & gratiæ in me meorumq detrimento, dimissio
mihi obtingeret, facturū me, D.V., quod in rem academiæ
sui me facere expeterent. Deus, cujus benignam gubr.
nationem & bonitatem ineffabilem agnosco & humillime veneror
rem hanc ad sanctissimi nōis sui majorem gloriam, Ecclesiæ
et meam salutem dirigat per Filium suum. Idem tu,
mi frater, mecum orare non desine.
Die vicesimo primo Aug. Dn. Conradus Eden, ~~[illegible]~~ cum

…as liberati:
…r offerret,

…nod futurum
…on vere.
…bar, si …
…se renuncia:
…rem [illegible] fori:
…tioni, vel di:
…ttō me petere.

triduo aut quatriduo decubuisset, cum bonorum
mœrore non mediocri, in fata concessit. Suffectus D.
Sebastianus Alners, tunc assessor judicii curialis Frisiæ
orientalis. Ante paucos dies Judex infer. jud. renunciatus
tus à Senatu Dn. Lic. Henricus à Capelle. Deus ei
adsit in patriæ emolumentum.

Vale, mi frater, et salve πανοικί.
Dilectissimis, conjugi et liberis, meo nomine oscula fige.
Salutat vos conjux, affinis, soror, cognati, Collegæ.
Dab. Bremæ, d. 7 Octob. 1640.

Tui amantissimus
frater,

G. Cocceius

Fratri charissimo,
Dno Johanni Coch, professori S. linguæ in celeberrima
Franequerana